Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1407
Quelle:
Copyright:

tium: *Venerabiles viri Doctores et M. ac ceteri singuli Domini prestantissimi et amici* &c. Ad calcem: *In Aula pronunciatum in octaua petri et pauli.* 1431. *Fol.* 206. Pro fine harum Disputationum. Initium: *Habent quod manducent* &c. Ad calcem: *Anno &c. 1431. in die exaltacionis sancte crucis. Fol.* 246. *Sermo pronunciatus per M. Stephanum de Stokbarn.* Agit de Natali D. N. J. C. hoc initio: *Pax hominibus bone voluntatis, Luc. 2°. et in prime misse hujus sanctissime festiuitatis sancto euangelio* &c. De Oratore nil reperio. *Fol.* 258. *Sermo pronunciatus per M. Narcissum de Perching.* In Festo Pentecostes. Initium: *Ille vos docebit. Scribitur Joh. 14.* &c. Orator cognomine *Herz* Academiae toti praefuit a. 1423. et 31. Inter Visitatores ejus a Concilio *Basil.* deputatos fuit a. 1434. Canonicus ad D. *Stephani* supremum habuit a. 1442. *Fol.* 268. *M. Johannis Angrer* Sermo in Paschate. Initium: *Surrexit non est hic. Scribitur originaliter Marci 16. c.* Rexit Vir hic Praepositus *Gurnicensis* in *Carinthia* universam Academiam a. 1417. et 29. Ortus ex *Müldorf* obiit a. 1432. locumque inter *Scriptores Universit. Vien.* P. I. p. 84. obtinuit. Universi porro hi Sermones, ii etiam, quos praeterivimus, intra annos 1426 — 29. habiti videntur, et maximam partem ob multa intrusa et refecta ἀυτογραφοι censeri possunt. Similes porro indicavimus *Cod.* DCVI.

VI. *fol.* 302. adhaerent: Sylloge variarum Sententiarum ex Autoribus sacris et profanis, quibus immixti sunt Rhythmi satirici contra Gregorium XII. ubi inter alia de Ejus adseclis:

Jo. (Dominici) *Ragusinus, frater gabriel gabadeus* (Vide Cod. CCCCLIX.)
Quattuor equales inutiles carpidinales
Henricus (Minutulus) *ridens, Tudertinus* (Ant. Calvus) *male videns,*
Consors laudensis (Ang. Summaripa) *christi quos iudicet ensis.*
Sunt ypocrite fratricelli sodomite
Nequam latrones periurij buzerones &c.

2°. Medicamina quaedam Capillorum et Faciei. 3°. Summaria gemini Libelli supplicis ad Pontificem pro collatione Beneficii; prioris quidem nomine supra memorati *Joh. Angerer* pro Beneficio conferendo vel a Dioecesi *Salisburg.* vel a Monasterio *Gottwicen.* O. S. B. vel ab Utroque communiter; alterius pro Anonymo in Dioecesi *Patav.* 4°. Noti illi IV. *Bohemorum Articuli*, prout extant apud *Cochlaeum Hist. Hussit.* L. V. p. 199. et a nobis non semel jam indicati sunt.

CCCLXVII.